

Dei debetur. Nonnihil acutissimo dolori conceditur, veluti aegro acerrimis morbi cruciatibus laboranti.

120. ARGUM. II. *Iob* ad finendam miseram vitam suam elegit suspendium et mortem, ac desperavit; prout ipse ait (1) his verbis: *Quamobrem elegit suspendium* (hebraice *strangulationem*; chaldaice *suffocationem*) *anima mea, et mortem ossa mea. Desperavi, nequaquam ultra iam vivam*; ergo graviter peccavit. R̄. Dist. ant. elegit suspendium anima *Iobi*, hoc est, parti inferiori seu appetitui sensitivo mors violenta videbatur optabilior, quam ulterior sustinentia tantorum dolorum et calamitatum, conc.; in hanc tentationem *Iob* deliberata voluntate consensit, neg. ant. et cons. Cum nullum haberet tempus *Iob* a miseriis et doloribus vacuum, nec spes levamenti et quietis appareret, consilium sese offerebat desperationis plenum. *Offerebat*, inquam, non probabatur aut placebat *Iobo*, quod suggerebat dolor, neque improbat animalis natura; quia haec maiora neque meditabatur, neque norat incommoda: at refutabat ratio, horrebatque vehementer, quia et rationali naturae, et divinae legi violentam sui ipsius occisionem repugnare didicerat. Erat itaque pulsus quidam a natura sentienti, cui supra modum et vires videbatur ulterior dolor, vel potius a diabolo, qui nusquam aberat. Sed longe aberat a consensu religiosus *Iobi* animus, et iam pridem et doctrina sana, et honestis moribus institutus. Porro ratio ita respondendi sunt omnia illa, quae praecedentibus numeris 85 et 86 diximus.

Ceterum, quando *Iob* loc. cit. ait: *Desperavi*, haec non fuit vox desperantis de beatitudine seu salute aeterna (de qua nullus hic sermo),

(1) *Iob* c. 7, v. 15 et 16.

sed de vita et salute corporis, seu sanitate naturaliter recuperabili. Hinc statim subdit: *Nequaquam ultra iam vivam*, rogatque Deum, ut pauxillum, quod reliquum est vitae, duci sinat, peragique clementius, et parcius feriat, ac temperet stimulos, quos prius exacerat. Hoc enim iuxta s. Thomam, *Pinedam*, *Sanctium*, aliosque interpretes sibi volunt illa verba immediate subsequentia: *Parce mihi, nihil enim sunt dies mei*. Itaque sensus verborum *Iobi* cap. 7, v. 16 dicentis: *Desperavi; nequaquam ultra iam vivam: parce mihi, nihil enim sunt dies mei*, est iste: « Abieci omnem vivendi spem, quia tanto malo non video adhiberi posse medicinam. Quare, o Domine, quando recusari non potest vicina mors, parcius, obsecro, et clementius percutere; et stimulos tempera heu nimium hactenus acutos; ut pacifice moriar, quod extremum est in hoc mortali statu beneficium. » Nimirum sic erat calamitatibus affectus *Iob*, et exhaustus, sic omnes videbat aditus ad spem de recuperandis viribus concipiendam interclusos, ut animum de sanitate corporali recuperanda omnino desponderit; neque crederet usuram futuram esse diuturnam aerumnosae vitae. Atque ideo cum iam sibi persuasisset instantem supremum diem, sese ad Dominum simplex convertit, oratque ut quando quod superest vitae exiguum est, illud velit sic moderari, ut respiret paullisper. Et quando recusare non potest, quin spiritum agat, moriatur saltem pacifice, quod extremum est in hac vita mortali beneficium.

121. QUÆRES V. *An Iob saltem leviter peccaverit labiis suis*. R̄. Affirmative. Id enim patet ex ipsa *Iobi* confessione (2) dicentis: *Qui leviter locutus sum, respondere quid*

(2) *Iob* c. 59, v. 54.

*possum? manum meam ponam super os meum*, h. e. cum locutus fuero, parum considerate et leviter respondere Deo quid possum? Quare satius duxi, continere linguam, et pro responsione adhibere silentium. Tum in confessione sua *Iob* pergit (1): *Unum locutus sum, quod utinam non dixissem; et alterum, quibus ultra non addam*, h. e.: *Unum fateor, et alterum verbum locutus sum, cuius me pudet ac poenitet: neque committam unquam, ut in verbum aliquod deinceps simile prolabar. Et iterum alibi* (2): *Insipienter locutus sum, et quae ultra modum excederent scientiam meam*: ergo s. *Iob* saltem leviter peccavit labiis suis. CONFIRMATUR ex s. Thoma, qui in illa Scripturae (3) verba: « Dominus quoque conversus est ad poenitentiam *Iob*, cum oraret ille pro amicis suis » ita ait (4): « Dignum enim erat, ut qui pro levi suo peccato humiliter poenitebat, etiam aliis graviter (5) peccantibus veniam impetraret. » Et ex s. Hieronymo (6) dicente: « *Iob*, qui iustus et immaculatus ac sine querela in principio voluminis sui scribitur, postea et Dei sermone, et confessione sui peccator arguitur. » Ac etiam ex unanimi interpretum, qui, dum in textus Scripturae paullo ante citatos commentantur, asserunt, *Iobum* labiis suis venialiter peccasse,

(1) *Ibid.* v. 55.

(2) *Iob* c. 42, v. 5. (3) *Ibid.* v. 10.

(4) In *Iob* c. 42, lect. unica.

(5) Tres amici *Iob* graviter peccarunt, videlicet nimia acrimonia et iniustitia de *Iobi* hominis sanctissimi meritis temere iudicando. Inducant id ipsum illa Domini ad *Eliphazem* verba (*Iob* c. 42, v. 7): *Iralus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, etc.*

Inter hos tamen amicos non erat *Eliu*, qui minus peccavit, minusque erravit, et non tam in praeteritae vitae *Iobi* crimi-

scilicet quia in loquendi modo signa quaedam dedit hominibus externa tantum intuentibus impatientis animi; quia temere, nimis audacter, et re non sat mature excussa locutus est, dum plusculum questus est de Deo, cum eo contendere gestiens, quasi praefisus suae iustitiae et plenae innocentiae, adversus inscrutabile iudicium Dei. Vide *Sanctium* (7), *Tirinum* (8), *Pinedam* (9), aliosve insignes in librum *Iob* commentatores. Ergo *Iob* saltem venialiter peccavit labiis suis.

122. Neque OPPONAS I. Ipsa Scriptura (10) testatur: *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est*. Et iterum (11): *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis*: ergo neque venialiter in loquendo deliquit. Ne, inquam, sic opponas. Nam ex duobus hisce textibus sacris quorum primus in primo, alter in secundo capite libri *Iob* continetur, tantum habetur, quod *Iob* non peccaverit in his, quae c. 1 et 2 dixisse narratur: neutiquam autem inde sequitur, quod neque in aliis, quae in longo illo discursu, per plura capita cum amicis suis (12), habito de divina providentia dixit, ullo modo peccaverit.

Si DICAS: *Iob* neque peccavit in longa illa cum amicis suis disputatione; quia (cap. 27, v. 6) expresse de se dicit: « Iustificationem

nibus probandis, quam in huius respondendi et ad Deum iudicem provocandi constantia et fiducia comprimenda laboravit; ut *Pineda* (in *Iob* c. 52, v. 6) observat.

(6) *Epist.* 46.

(7) *Comment.* in *Iob* c. 59, v. 53. Et c. 42, v. 5.

(8) *Ibid.* v. 54; et c. 42, v. 3 et 4.

(9) *Ibid.* v. 53, n. 3; et cap. 42, v. 3, n. 3.

(10) *Iob* c. 1, v. 20.

(11) *Iob* c. 2, v. 10.

(12) *Iob* c. 4, 5, 6, 7, etc.



meam, quam coepi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. » R. *Iob* in his verbis seipsum tantum iustificat a *gravibus* illis peccatis, ob quae amici temere putabant, ipsum a Deo tantis miseriis et afflictionibus puniri: non vero se iustificat ab omni *levi* peccato; immo ipsemet alibi (1) de se fatetur: *Leviter locutus sum... unum locutus sum, quod utinam non dixissem... insipienter locutus sum etc.*, videlicet non satis caute loquendo de divina providentia (2).

Eadem est responsio, si DICAS: Ipse Deus ad *Eliphazem* de *Iobo* ait: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob*: ergo *Iob* recte et sine peccato locutus est. Nimirum haec Domini verba eo tantum sensu intelligenda sunt, quod *Iob* labiis non peccaverit *graviter*, sicut tunc peccaverant amici ipsius, qui temere iudicabant, *Iobum* ob gravia sua peccata tam severe puniri a Deo, et petulantius ac acrioribus verbis id afflicto exprobrabant.

123. OPPON. II. *Iob* in suis doloribus et afflictionibus constitutus, figura fuit Christi patientis: atqui in eo, qui Christi figura seu typus est, non videtur decens ulla vel levissima peccati suspicio, aut impatientis animi significatio; alioquin non esset effigies vera, immo neque honesta, cum aliud videamus in figura, idque parum honestum et pulchrum; aliud in eo, quod figuratur. R. Nego suppositum, quod typus seu figura ideo amittat nomen, aut naturam typi seu figurae, quod leviter aberret a prototypo, aut non omnes illius partes assequatur et

(1) Vide praeced. num. 88.

(2) Ibidem.

(3) Epist. 131 ad *Rufinum*.

(4) L. 22 contra *Faustum*, c. 42.

exprimat. Certe si spectemus alias Christi figuras, quae in s. Scriptura extant non paucae, in ipsa etiam actione, in qua illustre illud expresserunt exemplar, invenimus aliquid, quod non agnosceremus in adumbrato Christo. Exemplo nobis sint *Samson*, *David*: immo, ut docent *Hieronymus* (3), *Augustinus* (4), *Gregorius M.* (5), *Eucherius* (6), qui suam sententiam variis confirmarunt exemplis, non solum bonus in re omnino bona, sed etiam malus in re mala typus esse potest rei bonae. Sic *David* videns inter deambulandum in solario suo *Bethsabee*, eamque male concupiscens, iuxta s. *Gregorium* loc. cit. figura fuit Christi Domini copulantis sibi legem, ut iudaei ex carnali eiusdem intelligentia emergerent ad spiritualem. Similiter s. *Eucherius* (7) expendens concubitum *Loth* cum duabus suis filiabus, patrem suum antea hunc in finem studiose vino inebriantibus, agnoscit typum Christi in *Loth*, et duorum testamentorum in duabus illis filiabus. S. *Augustinus* quoque loc. cit. de hoc facto loquens, ait: *Illud factum, cum in s. Scriptura narratur, prophetia est; cum vero in illorum vita, qui hoc commiserunt, consideratur, flagitium est.* Taceo alia huiusmodi exempla. Nimirum quemadmodum periti pictores interdum formare solent imagines, quae ex uno angulo spectatae repraesentant e. g. hominem, ex altero vero monstrum; ita Rector universi interdum permittit actiones malas, quae, ut *Augustinus* ait, in suis auctoribus sunt flagitia, respectu aliorum vero promissiones et prophetia.

(3) L. 3 moral. cap. 21.

(6) L. 2 in Genes. c. 50; item in fin. commentar. in lib. I. Reg.

(7) L. 2 in Genes. c. 50.

124. OPPON. III. *Iob* fuit propheta, seu homo prophetico spiritu impulsus ad loquendum: ergo nec graviter, nec leviter peccavit labiis suis; quia spiritus propheticus seu a Deo immissus ne quidem ad verbum venialiter peccaminosum impellere potest. R. Non omnia quae dicunt prophetae, spiritu fundunt prophetico, sed interdum suo ducuntur, immo abducuntur spiritu. Unde nonnunquam reprehenduntur a Deo, quod aliquid fecerint, dixerintque, et minus sancte et non valde attemperate ad rem. Exemplo esse poterit *Ionas*, in cuius verbis (Ion. cap. 4) non pauca sunt, quae a divino, atque prophetico afflatu recesserunt. Neque verba desunt in aliis prophetis, quae ex affectu humano potius, quam a prophetico prodierunt, quae ipsi damnarunt postea, et de quibus ignosci sibi a Deo petierunt. Vide s. *Thomam* (1), et s. *Gregorium* (2). Sic ergo *Iobus*, etsi propheta fuerit, multa tamen suo sensu ac spiritu locutus est; e quorum numero sunt illa, quae reprehendit Dominus, et quae ipse *Iob* illustratus a Domino condemnat, et a quibus in posterum sibi cavendum esse dicit (3).

SCHOLION. Quamvis *Iob* ex inspiratione Spiritus s. ne quidem leviter peccarit: potuit tamen postea locutiones suas leviter peccaminosas ex inspiratione Spiritus s. scripto annotare, et verisimiliter eas annotavit, ut in praefatione ad librum *Iob* diximus. Etiam si enim Spiritus s. non possit esse auctor levis peccati a *Iobo* commisi; potuit tamen esse auctor libri *Iob*, in quo hoc narratur: sicut multa alia peccata in s. Scriptura narrantur, sed non approbantur.

(1) II, 2, q. 171, art. 5.

(2) Homil. 1 in Ezechielem.

(3) *Iob* c. 59, v. 53; et *Iob* c. 42, v. 5.

125. QUARES VI. Num credibile sit, quod tres amici *Iob* (*Iob* 2, v. 13) sederint cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo ei locutus sit verbum toto hoc temporis spatio? R. Quamvis *Origenes*, vel auctor commentarii, quod illius nomine inscribitur, l. 3 dicat amicos *Iob* septem continuis diebus et noctibus iugiter *Iobo* adhaesisse, quin biberent vel comederent eo omni temporis intervallo, sed supernaturali quadam ac divina virtute fuisse nutritos; tamen necesse non est, tale miraculum adstruere, sed cum *Olympiodoro*, *Pineda*, *Menchio* aliisque interpretibus melius dicitur, verba illa Scripturae: *Sederunt cum eo in terra septem diebus, et septem noctibus, et nemo ei loquebatur verbum*, non accipienda esse strictissime, sed moraliter, sive ita, ut discesserint tamen subinde sumendi cibi, aut somno curandi corporis causa, summo tamen mane iterum redeuntes, usque in multam noctem apud ipsum morati fuerint; ferme sicut de *Anna* (4) dicitur: *Non discedebat de templo*, h. e. frequentissima erat in templo, ac pene assidua; vel sicut *Iacob* (5) ad *Labanum* ait: « Die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi, » non quasi *Iacob* toto illo tempore nunquam subierit tectum, neque ullam quietis partem captaverit, sed duntaxat significare voluit moralem continuationem sui laboris, suarumque vigiliarum. Porro Scriptura non ait, quod amici *Iob* septem diebus et septem noctibus prorsus nihil locuti fuerint, sed tantum quod *ei*, h. e. *Iobo*, non sint locuti propter magnum dolorem et miseriam, cui immersus

(4) Luc. c. 2, v. 37.

(5) Genes. c. 51, v. 40 et 41.



iacebat; nam post illa Scripturae verba *nemo ei loquebatur verbum*, statim additur: *Videbant enim dolorem esse vehementem*. Unde amici *Iob* nil aliud agebant, quam in gemitu ruebant, atque in silentio plorabant, quin se ad *Iobum* converterent, eumque ad loquendum cogere: sed haud dubie locuti sunt inter se, et cum eius uxore et domesticis, qui accedebant visuri, quid *Iob* ageret, vel ab eo recedebant: *Iobo* ipsi vero inter summos dolores et aerumnas afflictissimo nolebant esse molesti eum suscitando vel alloquendo. Volebant igitur expectare, donec res mutaretur, et *Iob* vel expiraret, vel ipse inciperet loqui; prout etiam postea (cap. 3) *aperuit os suum*, et coepit loqui.

126. QUÆRES VII. *Quomodo Iob* (cap. 19, v. 17) *dicere potuerit: ORABAM FILIOS UTERI MEI h. e. si qua re in meis miseriis indigebam, orare et supplex fieri debebam filiis meis; cum tamen* (cap. 1, v. 19) *omnes eius filii et filiae iam ante ruina domus obtriti dicantur?* R. LXX interpretes habent: *Filios concubinarum mearum* seu secundariorum uxorum (1). Nam filii primariae uxoris *Iobi* omnes interempti iam erant, scilicet ruina domus obtriti.

127. QUÆRES VIII. *Quomodo ilud* (*Iob* 27, v. 6) *NEQUE ENIM REPREHENDIT ME COR MEUM IN OMNI VITA MEA, conciliandum sit cum illo*

(1) Nomine *concubinae* apud profanos auctores nuncupari solet foemina, quae sine legitimis nuptiis viro tanquam nupta adiungitur. Alium tamen longe sensum haec vox in Scriptura obtinet; eo enim nomine in sacris literis foemina significatur, quae legitime viro alicui nupta, legitima et proprie dicta erat huius uxor, sed tamen honorem et domus administrationem uxori primariae cedens; cavebaturque pactis dotalibus, ne filii eiusmodi concubinarum, seu uxorum secundariorum ius haberent ad haereditatem paternam, sed hac integra relicta filiis prima-

(*Iob* 7, v. 20): *PECCAVI! QUID FACIAM TIBI, O CUSTOS HOMINUM? aut cum aliis textibus, in quibus Iob fatetur, se peccasse?* R. In 2. textu solum est sermo de peccatis levibus et quotidianis: in primo autem de gravibus illis, quae viro sancto ab amicis tum obiectabantur (2). Nimirum peccasse se (saltem leviter) fatetur *Iobus*, dum urgente dolore minus quam fas esset, moderate locutus est; aut etiamsi in sermonibus nihil peccatum esset, tamen quia bonarum est mentium ibi timere, ubi nihil est, quod timeas; in metu erat, ne in illo dolorum aestu fecisset aut cogitasset aliquid quod religiosum hominem parum deceret. Atque ideo pro erratis, offenso Deo satisfactum esse cupit, et satisfactionis modum ab ipso quaerit: *Quid faciam tibi, o custos hominum?*

Similem fere responsionem suggerit s. *Thomas*, alique dicentes, *Iobum* non absolute asserere voluisse, se peccasse, sed ut mos bonarum mentium est, timuisse ne peccaverit, et in citato textu particulam conditionalem *si* subaudiendam esse. Quasi dicat, *si peccavi*, aut *esto peccaverim*. Verba s. *Thomae* (3) sunt: « Et ideo subdit: *PECCAVI*. Quasi dicat: esto quod peccaverim, et propter hoc merear flagellari, adhuc remanet ratio, quare mihi parcere debeas. » At-

riae uxoris, quae erat domina totius familiae, iubebantur certis muneribus seu donis pro arbitrio patris designandis esse contenti. Tales concubinae seu uxores secundariae *Abrahami* erant *Agar* et *Cethura* Genes. c. 16, v. 1, 5; et c. 25, v. 1, 5 et 6. Taceo alia exempla Scripturae de concubinis seu uxoribus secundariis. Similiter igitur etiam *Iob* ex eiusmodi concubinis, seu uxoribus secundariis habuerit filios. Vide hac de re a nobis iam dicta supra num. 76.

(2) Vide supra num. 122, Si dicas.

(3) Lectione 4 in cap. 7. *Iob*.

que huic responsioni plurimum favet versio LXX interpretum, quae sic habet: *Εἰ ἐγὼ ἥμαρτον, τί δύνησομαι παράξει ὁ ἐπιστάμενος τὸν νοῦν τῶν ἀνθρώπων: Si ego peccavi, quid possum facere, qui scis mentem hominum?*

128. QUÆRES IX. *Cur vulgata latina* (*Iob*. 29, v. 18) *textum hebraeum ita reddit: IN NIDULO MEO MORIAR, ET SICUT PALMA MULTIPLICABO DIES; cum tamen vox hebraea* *חֹל* *in textu hebraeo hic posita, nusquam alibi in tota Scriptura significet PALMAM, sed ARENAM potius?* 2. *Vel an non melius loco vocis PALMA hic poneretur PHOENIX volucris; prout haec vox in textu graeco LXX interpretum ponitur hoc modo: Εἶπα δὲ, ἡ ἡλιξία μου γηράσει ὡς περ στέλεχος φοίνικος, πολὺν χρόνον βιώσω. Certe hac voce phoenicem volucrum hic significari docet r. Salomon, Mercerus, et quidam alii. Sed dein opponunt deistae, et quaerunt: Quomodo fabulosa haec avis congruat divino libro, qualis dicitur esse liber Iob?* R. AD PRIMUM. Vulgatus interpres loc. cit. recte posuit vocem *palma* ex sequentibus rationibus. I. Ita legunt septuaginta interpretes, vetus itala, et tota ferme vetustas, cum pluribus recentioribus. II. Quidquid in toto illo textu *Iobi* legitur, satis cum *palma* congruit. Haec enim arbor est maxime annosa, succisa facile germinat, teste *Plinio* (1), et est mire foecunda. Unde plurimum servit exprimendo citatorum verborum *Iobi* sensui, ut mox videbimus. III. Quadrant quoque in palmam arborem, quae versu 19 proxime sequenti *Iob* dicit: *radix mea aperta est secus aquas*: aquosa quippe loca

amat dicta arbor, quod pariter Scriptura alibi (2) innuit his verbis: *Venerunt autem in Elim filii Israël, ubi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta palmae*. Igitur illorum *Iobi* verborum: *In nidulo meo moriar et sicut palma multiplicabo dies. Radix mea aperta est secus aquas*, sensum *Sanctius* in sua paraphrasi merito ponit istum: « Postquam longaevam egero vitam, qualis est palmae, pacifice moriar non extorris aut profugus; sed in domo mea velut in nidulo, fortunatus et hilaris: et similis plantae, quae iuxta decurrentes aquas depacta est in feraci gleba. » IV. Nec novum, nec infrequens est, quod in s. Scriptura similitudo palmae arboris in Iudaea et Arabia celebratissimae adhibeatur. Sic legimus (3): *Iustus ut palma florebit*. Sponsus in Canticis (4) sponsae suae proceram staturam palmae comparat. Sponsae comarum palmarum similis esse dicitur (5). Ipsa de se Sapientia caetera omnia infra se despiciere ait, veluti palma in agro *Cades* (6). Filii Aaron sacerdotes insigni corona *Oniam* summum sacerdotem ambiunt, quasi rami palmae (7). Quid igitur mirum, quod etiam *Iob* similitudinem palmae scopo suo tantopere accommodatam adhibeat?

His omnibus, quae lectioni vulgatae *Iob* 29, 18 et *sicut palma multiplicabo dies*, apprime favent, alii, qui hoc loco *palma* legendum putant *arena*, vel *phoenix* volucris, unum opponunt, quod tamen pluribus aequivalere argumentis existimant; nempe vocem hebraeam *Chol*, quae hoc loco in textu hebraeo ponitur, nullibi in Scriptura

(1) L. 15, cap. 4: *Sunt et caeduae palmarum quoque sylvae, germinantes rursus ab radice succisae.*

(2) Exod. c. 15, v. 27.

(3) Psalm. c. 91, v. 15.

(4) Cap. 7, v. 7.

(5) Cant. c. 5, v. 11.

(6) Eccli. c. 24, v. 18.

(7) Ibidem c. 30, v. 14.



*palmam*, saepe autem *arenam* (1) designare. Frequenter quidem in sacris literis vox *palma* occurrit, sed in textu hebraeo in nullo alio loco nomine *Chol*, sed nomine תמר *Thamar* exprimitur (2), nec septuaginta vocem *Chol* alibi unquam quam in hoc *Iobi* loco, de quo agimus, *palmam* reddiderunt. Neque in lingua chaldaica, syriaca et arabica hebraicae affinis, ex quibus radicum hebraicarum vis interdum colligitur, vox *Chol* significat palmam. Quare, concludit Calmet (3), septuaginta interpretes, qui hoc loco *palmam* vertunt, vel alium textum hebraicum, quam quem nos hodie habemus interpretati sunt, vel mendose legisse illos fateamur oportet. Addit duo alia argumenta, quibus probat, cit. loc., legendum esse *arena*, loco *palma*. Primum est, quia deducta ab arena similitudo pro rerum multitudine exprimenda Scripturae maxime familiaris (4) est. Alterum, quod peritissimi interpretes, chaldaeus, syriacus, arabicus, Montanus, Pagninus, Vatablus, plures alii cit. loc. legant *arena* hoc modo: *In nidulo meo moriar, et sicut arena multiplicabo dies.*

Equidem speciosa sunt haec argumenta, nec tamen talia, ut necessitas appareat recedendi a lectione vulgatae, et loco *palma* legendi *arena*. Rationes enim retinendi lectionem vulgatae sunt omnes illae, quas supra num. 93 allegavimus, quae per argumenta hic num. 94 proposita nondum videntur elisa. Acce-

(1) Deut. c. 35, v. 49. Iosue c. 41, v. 4. Iud. c. 7, v. 12. I. Reg. c. 15, v. 5. Psalm. 458, v. 48. Osee c. 4, v. 10.

(2) Iud. c. 4, v. 5. Psalm. 91, v. 45. Cant. 7, v. 7.

(3) In dissertatione in illud Iob c. 29, v. 48: *Sicut palma multiplicabo dies*, quam commentario ipsius in librum Iob praefixam invenies.

dit, quod, quamvis in linguis orientalibus hebraeae affinis non occurrat vox *Chol* palmam significans, tamen in illis occurrunt alia nomina palmam designantia, quae aliquam cum voce *Chol* similitudinem habent; prout Ioannes Iacob Scheuchzerus, medicinae et math. in lyceo Tigurino prof., et inter protestantes ob insignem suam eruditionem celeberrimus (5), in sua physica sacra (6) imaginibus illustrata testatur. Hic enim, quamvis vir catholicus, postquam multa argumenta in defensionem lectionis vulgatae Iob. 29, 18; *Sicut palma multiplicabo dies*, attulit, ita pergit: « Iunge his omnibus, in palmae favorem affinia חרל *Chol*, in oriente nomina. *Nachl* arabibus et persis est palma. *Kaempf*. l. c. *Chaesl*, *Chaesel*, palmae pumilae et silvestris fructus... *Menipzk*. *Lex*. 1901 *Daekael* turcis palma. Id. 2102 *yskal*, *iskal*, *uskal* *uskul*... iisdem palmae ramus, peculiariter racemosus dactylorum matureantium multos botros ferens. Id. 5665 3216 *Kilb*, *Kulb*, *Kaelb*, palmae interior medulla, Plur. *Aeklab*. Id. 3742, 5794. » Hucusque Scheuchzerus.

Caeterum quidquid sit, sive cit. loc. legatur, *sicut palma multiplicabo dies*, prout habet vulgata; vel *ut arenas maris multiplicabo dies meos*, uti habent textus chaldaeus, syriacus et arabicus, utrobique prodit idem sensus a s. *Iobo* intentus, ut consideranti facile patet.

(4) Genes. c. 32, v. 42. Genes. c. 41, v. 49. Iosue c. 41, v. 4. Iud. c. 7, v. 12, I. Reg. c. 15, v. 5. Psalm. 458, v. 48. Isai. c. 48, v. 49.

(5) Laudes eius enarrat lexicon universal. lipsiens. tom. 54, pag. 1556 et 1557 lexicon vero universal. basileens. tom. 6, p. 242.

(6) Tom. 5, pag. 757.

129. ¶ Ad secundum. In citato *Iobi* textu non est sermo de *phoenice* volucre, sed de *palma* arbore, vel ut alii volunt, de *arena*. Neque contrarium ex eo evincitur, quod septuaginta interpretes cit. loc. posuerint graecam vocem φοινίξ, quae volucrem illam designat. Sciendum enim, quod apud graecos haec vox tria vel quatuor maxime diversa significet: palmam nempe arborem, phoenicem avem, et phoenicium, i. e. Phoeniciae incolam, ac tandem herbam certi generis (1). Hanc aequivocationem LXX interpretes evitare voluisse visi sunt addentes vocem στελέχος, *truncus*. Non enim scribunt simpliciter ὡς περ φοινίξ, *sicut phoenix*, sed significanter, ὡς περ στελέχος φοινίκος, *sicut truncus phoenicis* (sive palmae arboris) *multiplicabo dies*. Ecquae enim alia voci *phoenix* congruere potest significatio, nisi palmae arboris, si vox *truncus* addatur? Absurdum quippe foret statuere, vitam sibi optare *Iobum* adeo longaevam, qualis est trunci phoenicis avis: de arboris, non animalis trunco adhibetur vox στελέχος. Sic στελέχη φοινίκων, trunci sunt palmarum etiam in aliis Scripturae (2) locis in textugraeco. Caeterum est adhuc forte alia insuper ratio, cur septuaginta in sua versione posuerint: *Sicut truncus palmae multo vivam tempore*. « Ubi forte, inquit *Pineda*, *truncum* dixerunt, tum propter firmitatem, tum propter gradatos illos corticis pollices, quos cum faciunt rami decedentes singulis annis, annuis gradibus (palma) crescere videtur, adeoque in *trunco palmae*, multi anni numerantur. »

130. SCHOLION. Ipsa haec aequivocatio seu multiplex et diversa significatio graecae vocis φοινίξ pepe-

rit errorem non unum apud scriptores profanos, quod (ut *Scheuchzerus* loc. cit. ait) probari posset fusius. Immo si rem penitus introspeciamus, ipsa illa de phoenice ave fabula originem habet ex palma arbore moriente ac renascente ex seipsa. « In meridiano orbe, inquit *Plinius* (3), praecipuum in palma (arbore) obtinent nobilitatem Syagri... mirumque de ea accepimus, cum phoenice ave, quae putatur ex huius palmae argumento nomen accepisse, mori ac renasci ex seipsa etc. » Similiter *Kaempferus* (4) hac de re ita disserit: « In τοῦ φοινίκος sive palmae dactyliferae argumento, arboris omnium principis, Phoenicidicatae, vetustissimae, felicissimae, et maxime longaevae, natales suos nomenque invenit phoenix ipse plumosus. Et per phoenicem nihil unquam aliud priscis nisi palma designata est: alae frondium ordines alatos indicant: decus plumarum pinnatam seriem foliorum: renascens illa ex igne origo ardorem significat, in palmiferis Arabiae desertis maxime intensus, qui cum caeteris viventibus ferat interitum, phoenici tamen nostro (i. e. palmae arbori) ortum et vitam, partibus omnibus incrementum, caudici firmitatem et robur, fructibus maturitatem et perfectionem tribuit. Caeterum et vita utriusque longaeva, soli utraque sacrata, par fama et gloria, idem denique nomen est. »

COROLLARIUM I. *Phoenix* volucris fabulosa seu conficta est; prout *Cornelius a Lap.* (5) cum aliis hodie plerisque, aut omnibus fateatur. Certe nemo eruditus sive longam aetatem, sive genus mortis, sive mutationem et resurrectionem *phoenicis*, quam in veterum scri-

(1) Vide *Dioscoridem* lib. 4, c. 45.

(2) Exod. c. 15, v. 27. Num. 55, v. 9.

(3) L. 15, c. 4.

(4) Amoenit. exot. pag. 665.

(5) Comment. in Genes. c. 7, v. 2.



ptis legimus, iam admittit. Omnia enim sunt eiusmodi, ut superent fidem humanam (1). Fors aliqui *phoenicem* cum ave *paradisiaca*, de qua *Calmet* (2) multa erudite scripsit, confundebant; cuius quidem avis *paradisiacae* veritatem fatentur omnes, sed sine miris illis et incredibilibus proprietatibus, quas non pauci veteres phoenici volucris affinxere.

COROLLAR. II. Deistae ex citato libri *Iob* loco (nimirum cap. 29, v. 18) nihil lucrantur. Nam non est cur librum *Iob* spernant et exhibent, quod ibi mentionem *phoenicis* fabulosae avis faciat. Negamus enim suppositum, quod vox ibi posita *phoenicem* volucrum designet, sed vel *palmam*, vel *arenam* significat. Dein etiamsi fabulosam illam avem designaret, posset nihilominus, ut *Tirinus* (3) ait, comparatio ab ea desumi: ut desumimus a Chimaera, a Cerbero, a campis elysiis. Verum, ut dixi, necesse non est, ad hanc ultimam *Tirini* responsionem confugere.

131. QUÆRES X. Quomodo (*Iob* 33, v. 14) cum veritate dici possit: SEMEL LOQUITUR DEUS, ET SECUNDO IDIPSUM NON REPETIT; cum tamen saepe idem per prophetas repetierit? R. Nego suppositum, quod *Eliu*, qui hoc dixit, locutus sit spiritu Dei. Scriptura quidem testatur, quod *Eliu* hoc dixerit; vera autem esse haec dicta, non asserit: sicut alia

(1) Vide *Calmeti* dissertationem supra citatam.

(2) Ibidem.

(3) Comment. in *Iob* c. 29, v. 18.

(4) *Iob* c. 42, v. 7 et 8.

(5) Fuere, qui ex coelestium corporum collisione cieri crediderunt perpetuos et numerosos sonos, cuius sententiae auctor fuit *Pythagoras*, quem alii deinde secuti sunt. Inter quos fuit *Philo* Iudaeus in lib. de Somniis, ubi coelum vocat archetypum musicae instrumentum, atque ideo tam scite atque affabre fuisse elaboratum,

multa, quae dixit *Eliu* et alii, qui cum *Iobo* longam iniere disputationem, usque adeo non sunt Deo inspirante dicta, ut potius a Deo improbata fuerint (4). Aliud nimirum est, quod haec verba *Eliu* Deo inspirante sint dicta, et aliud, quod Deo inspirante sint scripta ab auctore libri *Iob*: sicut multa alia in libris veteris aut novi Testamenti a scriptoribus sacris sunt scripta tanquam dicta vel gesta ab hominibus, quae tamen ab his non sunt dicta aut gesta Deo inspirante. Quare facile concedo, quod *Eliu*, sicut in aliis suis dictis erravit, ita etiam errarit, quando dixit, Deum loqui semel, neque secundo idipsum repetere, saltem si illud dixit in sensu obvio et illimitato. Ita *Gaspar Sanctius* in hunc locum. Nihilominus verum est illud dictum *Eliu* in sensu, quem probabilius intendebat, altiore, nimirum isto: Semel loquitur Deus, i. e. mentem suam et verborum suorum sensum non mutat, sed immutabilis est in verbis et consiliis suis. Vide *Tirinum* et *Calmetum* in eundem locum.

132. QUÆRES XI. Quisnam sit ille concentus coeli, de quo (*Iob* 38, v. 37) dicitur: CONCENTUM COELI QUIS DORMIRE FACIET? Aut in quo iste concentus a fabuloso coelorum concentu, quem *Pythagoras* adstruxit, differat? R. Sermo hoc loco est de concentu coeli, non musico, ut volebat *Pythagoras* (5), quem o-

*Cicero* quoque, qui hac in re cum *Pythagora* eadem sensit, in Somnio *Scipionis* adducit eleganter *Scipionem* sic loquentem: « Quis hic, quis est, qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille (nempe *Africanus ad Scipionem*) qui cum intervallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium conficitur, qui acuta cum gravibus temperans varios aequabiliter concentus efficit. Neque enim silentio tanti motus incitari possunt; et natura fert, ut extre-

ptime refellit *Aristoteles* (1), sed de concordia motu ac stabili cursu coelestium corporum. Ex motibus enim orbium coelestium seu astrorum licet diversis, mira tamen ratione atque ordine consentientibus, efficitur ille concentus seu harmonia, quam silere nemo, aut dormire, seu cessare faciet, nisi solus Deus in fine mundi. Certe hic concentus, seu mirabilis coelestium corporum motus et ordo divinas laudes perpetuo personat, et Conditoris sapientiam ac potentiam diu noctuque deprædicat, iuxta illud (2): *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmitermentum*. Et paulo infra (3) de iisdem coelis subditur: *In omnem terram exivit sonus eorum*.

133. QUÆRES XII. Quis sit ille BEHEMOTH, de quo Deus ad *Iobum* (*Iob* 40, v. 10) dixit: ECCE BEHEMOTH, QUEM FECI TECUM, FOENUM QUASI BOS COMEDET? 2. Cur de eodem (*Ibid.* v. 14) dicatur: IPSE EST PRINCIPUM VIARUM DEI, QUI FECIT EUM? An fortassis BEHEMOTH ante omnes alias creaturas productus est? R. AD PRIMUM. Hebraica vox בהמה *Behemah* significat animal, in plurali autem numero dicitur בהמות *Behemoth*, i. e. animalia, bestiae, iumenta. Hoc tamen loco unum aliud peculiare animal designatur, quod numero plurali *Behemoth* dicitur, eoquod mole corporis, aut feritate pluribus bestiis par censeri

possit. Hebraei enim saepius multitudinis numero utuntur, ut aliquid mirifice magnum, atque praestans designent. Caeterum cuiusnam determinatae speciei animal hoc nomine cit. loc. designetur, non una est omnium interpretum sententia: nobis sufficit, illud esse certum, quod Deus et hoc et praecedentibus capitibus 38 et 39 doceat *Iobum*, ceterosque omnes, divinam potentiam ac sapientiam esse homini prorsus incomprehensibilem, inductione facta per varias creaturas et creaturarum operationes ac proprietates, quae aciem mentis humanae prorsus effugiunt, atque inter has creaturas recenset etiam *Behemoth*. Nihilominus, ut saltem eruditionis causa aliquid magis distincte ad propositam quaestionem respondeamus, observo, quod *Sanctius* per hanc vocem *Behemoth* taurum designari existimet: *Bochartus* vero contendit, *Behemoth* esse hippopotamum, i. e. equum fluviatilem seu marinum. At *Calmet*, *Tirinus* et complures alii cum s. *Thoma* et hebraeis passim elephantem hoc loco describi asserunt; ut etiam ex contextu colligi posse videtur, dum de *Behemoth* dicitur (4): *Fortitudo in lumbis eius... Ossa eius velut fistulae aeris*, etc. Patres (5) autem *Behemoth* interpretantur *diabolum*.

R. Ad 2. *Behemoth*, seu iuxta communem interpretum sententiam

ma ea altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille coeli stelliferi cursus, cuius conversio est concitator, acuto et excitato movetur sono, gravissimo autem hic lunaris, et infimus. Haec *Cicero* l. 6 de republica, ubi *Somnium Scipionis* narrat.

(1) L. 2 de Coelo.

(2) Psalm. c. 18, v. 4.

(3) Ibidem v. 5.

(4) *Iob* c. 40, v. 11 et 13.

(5) Patres, qui nullum alium priorem

literae sensum in *Behemoth* agnoscunt verae alicuius naturae animalis, sed duntaxat sub specie belluae et membrorum corporum, volunt repraesentari diaboli saevitiam, fortitudinem, calliditatem, ingenium, sunt sequentes: *Augustin.* l. 11 de Genesi ad literam cap. 20. Et lib. 11 de civit. c. 15, 17. *Hieronym.* hoc loco. *Ambros.* lib. 4 de poenit. c. 15. *Cyriillus*, *Chrysost.*, *Origenes*, pluresque alii, quos citat *Pineda* comment. in *Iob* c. 40, v. 10, pag. 1803, edit. Ursellis ann. 1625.



elephas dicitur *principium viarum Domini*, non quod ante alias res creatas fuerit productus; sed quod sit maximum divinae opus potentiae, scilicet inter bruta animalia; cum non solum magnitudine et mole corporis, sed etiam docilitate, et quasi prudentia naturali inter illa excellat (1). Ubi notandum est, quod vox *principium* aut initium in s. Scriptura non semper designat id, quod tempore aut duratione primum est, sed id, quod maximum est, aut optimum et praecipuum in aliquo genere. Hoc sane sensu hanc vocem sumpsit Ecclesiasticus (2) dicens: *Initium vitae hominis aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem*. Haec enim, ut patet, non prima sunt, sed praecipua vitae humanae subsidia. Similiter ergo elephas initium esse dicitur creaturarum rationis expertium; de his enim, ut apparet, cit. loc. est sermo, quia praecipuus est inter animantes.

134. QUÆRES XIII. *Quis sit ille LEVIATHAN, de quo Deus ad Iobum (Iob 40, v. 20) ait: AN EXTRAHERE POTERIS LEVIATHAN HAMO, ET FUNE LIGABIS LINGUAM EIUS?* R. *Leviathan* nomen frequens in Scriptura patres in sensu morali de serpente versuto et inimico, daemone nimirum interpretantur. Etymon autem huius nominis *Leviathan* ex voce hebraea, piscem seu monstrum marinum significante derivatur. Nam לִיָּתָן *Le-*

(1) Stupenda et pene incredibilia de docilitate et veluti prudentia elephantis referunt praeter alios *Plinius* l. 8, c. 1, 2, 3, et *Lipsius* centur. 1, epist. 30.

(2) Cap. 29, v. 28.

(3) Hebraicum nomen תַּן *than* singularis numerus est nominis תַּנִּים *thannim*, quod dubio procul marina monstra significat, vel magnos fluviorum pisces. לִיָּתָן *Leviath* adiectivum est foeminini generis, quod significat connexum, adiunctum, simul conglutinatum, fortasse propter ho-

*viah iunctus*, sive *agglutinatus* significat; תַּן *Than* vero *cetus* (3); acsi diceretur *cetus squammis fortissime sibi mutuo adhaerentibus atque consertis protectus*. Unde teste *Tirino* (4) de cete seu balaena praegrandi hunc locum *Iobi* exponunt *Aquila, Symmachus, Theodotion*, hebraei, graeci et latini passim. Sed *Calmet* (5), et complures alii hoc loco nomine *Leviathan* crocodilum designari contendunt; id quod *Calmetus* (6) ex toto contextu erudite ostendere conatur.

135. QUÆRES XIV. *Quomodo illud (Iob 41, v. 16) intelligendum sit: CUM (Leviathan i. e. cetus vel crocodilus) SUBLATUS FUERIT (i. e. sese in aquis exerit), TIMEBUNT ANGELI, ET TERRITI PURGABUNTUR. An angeli cetum vel crocodilum timent?* R. In hebraeo loco vocis *angeli* est vox אֱלִים *elim* seu *fortes*, quasi di-

cat: Fortissimi quique e. g. rectores navis, caeteroqui valde experti et magnanimi, timebunt, soluta alvo prae timore. Ita hunc locum explicat *Emmanuel Sa* et alii; quemadmodum ad timoris magnitudinem significandam similis expressio apud *Ezechielem* (7) adhibetur. Neque haec expositio repugnat nostrae vulgatae; cum nomen *Angelus* vel *Angeli* in s. Scriptura non semel significet homines, qui aliis praesunt (8). *Sanctius* vero verba

rum piscium aut monstrorum fluvialium, aut marinorum squammas, quae sibi mutuo adhaerent, atque unum duntaxat veluti textum efficiunt.

(4) Comment. in Iob c. 40, v. 20.

(5) Ibid. c. 7, v. 8. Et Iob c. 40, v. 20. Item in suo dictionario biblico, v. *Leviathan*.

(6) Loc. cit. maxime in dictionario bibl.

(7) Cap. 21, v. 7.

(8) Apoc. c. 2 et 3. Item I. Cor. c. 11, v. 10.

illa *territi purgabuntur* censet, melius et decentius intelligi de purgatione peccatorum per poenitentiam. Qui enim in mari periclitantur, Numen sibi per poenitentiam propitiare student. Accedit, quod ubi vulgatus interpres ponit *purgabuntur*, textus hebraicus habet יִתְהַטְאוּ *Iithahatau*, quod in hitpalel significat expiare se a peccato.

136. QUÆRES XV. *Qualis fuerit Iobi morbus?* R. Non vacat pluribus curiose examinare hanc quaestionem. Illud solum sciendi avidum lectorem admonemus eandem in

speciali dissertatione commentario in librum *Iob* praemissa a *Calmeto* discuti, ubi inter alia ait: Quidquid *elephantiasis* nomine censetur, nempe morborum phalanx, id totum *Iobum* invaserat. *Pineda* (1) quoque ad 31 vel 32 morborum genera in *Iobo* enumerat; quamvis plures solo inter se nomine distincti sint, et multo etiam minor morborum summa resultaret, si morbi singuli ad suos veluti fontes et capita referantur.

(1) Commentar. in Iob c. 2, per 9 sectiones.